



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens quatuor Tractatus
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine decimusquartus, de
Iuramento, & Adiuratione. Secundus, de Voto. Tertius, & charior Authori,
de statu Religioso. Quartus, de vitiis oppositis Religioni

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

Cuius auctoritate, & ex qua causa vota commutari possint. punct. 15.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76572)

presumpta delegantis voluntate miscere commutationem. Quia hic modus dispensandi melior, tutior & à Pontifice vltatus est. Ex qua doctrina conuincitur posse votum inaequale commutare. Nam multo minus est, commutationem inaequale facere quam in minus. Ratio verò, quate potestas ad dispensandum extendatur ad commutandum, ea est: Quia commutatio est quaedam partialis seu diminuta dispensatio. Siquidem obligationem voti tollit non absolute, sed sub onere alterius materiae subrogatae, quod longè minus est & potestati absolute dispensandi subordinatum. Ergo habens potestatem dispensandi poterit commutata iuxta regulam iuris 53. cui licet quod est plus, licet drigue quod est minus. Praecipue cum minus sub eodem ordine continetur. Et explicatur. Ad tollendam integrè voti obligationem difficile est, causam legitimam inuenire, quae tamen sepe inuenitur, eo ipso quod votens loco prioris obligationis aliam acceptet. Poterit ergo dispensans obligationem voti tollere ea conditione posita & non alter. At in hoc consistit potestas commutandi: Ergo.

5. Neque fundamentum oppositum vrget, nego has potestates esse diuersas; sed dico vnam sub alia contineri tanquam partem sub toto: vtraque enim potestas tollit integram obligationem voti: sed potestas dispensandi illa tollit nulla alia obligatione subrogata, at potestas commutandi supponit nouam subrogati obligationem. Quod quidem accidentarium est neque variat dispensandi potestatem. Ad confirmationem nego potestatem commutandi quatenus tollit obligationem prioris materiae non expositulare causam: ipsa enim susceptio nouae obligationis causa est. Siquidem abique illa exerceri non potest. Ad secundam confirmationem admitto, magna scientia & prudentia opus esse ad inuestigandam materiae subrogatae aequalitatem; nego tamen supra dicta scientia & prudentia non indigere potestatem dispensandi ad inuestigandam causam legitimam dispensationis. Ad vltimum dico, negata potestatem commutandi negari potestatem dispensandi maxime spectato communi vtu & stylo. Et ad probationem respondeo, eo ipso quo absolute conceditur potestas alicui relaxandi vota integrè censetur concessa relaxandi noua obligatione praesupposita, nisi expresse contrarium declaratur.

An verò potestas dispensandi in votis extendatur ad vota iurata, & in fauorem tertij? Supradicto tractatu de Iuramento disp. vlt. punct. 1. & 2. diximus. Restabat item dicendum qualiter suppressione veri & expressione falsi vitietur dispensatio & recipitur: Sed de his late egimus tract. 3. de legibus disp. vltima punct. 17. Insuper de forma seruanda in dispensatione de qua ibi punct. 11. & fere omnia quae disputatione de priuilegijs & de dispensationibus tradidimus huic instituto deseruie possunt.

PUNCTVM XV.

Cuius auctoritate & ex qua causa vota commutari possint.

SVMMARIVM.

- 1. Premittuntur aliqua pro intelligentia quaestioni.
- 2. Votum propria auctoritate in rem euidentem meliorem potest commutare, nisi aliqua lege prohibeatur.
- 3. In rem inferiorem nequis propria auctoritate.
- 4. In aequalem plures consensu posse: probabilis est oppositum.
- 5. Ampliatur ad rem sub dubio vel opinione superiorem.
- 6. Ad commutationem voti in rem aequalem necessaria est auctoritas Praelati.
- 7. Ad commutationem faciendam in rem meliorem nulla causa requiritur, bene tamen pro commutatione in aequalem vel in minus.
- 8. Qua causa requiratur ad commutationem faciendam in rem aequalem vel minorem.

EX superioribus liquet commutationem à pura dispensatione differre, quod commutatio tollat vinculum, & obligationem voti non simpliciter, & purè, sicut dispensatio, sed sub onere noui vinculi & obligationis prioris subrogatae. Haec autem obligatio subrogata prioris potest esse grauior, aequalis, vel leuior pro grauiori leuiori, vel aequali materia subrogata.

2. Dicendum ergo est; si votum commutes in rem euidentem meliorem propria auctoritate & absque vlla causa praestare potes, nisi specialiter aliqua lege vel praecipro prohibeatur. Est communis sententia, quam alij telaris tradunt Nauarr. c. 12. n. 75. Couarr. de pactis 1. p. 3. n. 4. Sayro in Clau Regia lib. 6. c. 11. n. 8. Sanch. lib. 4. c. 49. n. 12. Layman. l. 4. sum. tract. 4. c. 8. n. 19. Ratio videtur manifestam si res

in quam voti obligatio transfertur omnibus consideratis est melior, consequenter erit Deo gratior. Nam licet hominibus non semper gratior sint, quae sunt meliorae Deo cuius vellet est perfectissimum, semper gratiora sunt, quae meliora fuerint. Ergo reddens rem meliorem abundantius obligationi satisficit. Deinde votum impedire non potest maius bonum. Ergo neque subrogationem perfectioris materiae. Praeterea; quia in omni voto videtur inclusa conditio, nisi perfectiorem materiam elegeris; quia id rectè ratio & voluntati Dei conuenit. Denique sunt plures textus iuris canonici, ex quibus non leuiter colligitur supra dicta resolutio. Videlicet c. peruenit de iureiurando ibi. Promissum non infingit, quia illud in melius commutat, hoc est in melius & grauius creditori. Ad idem est c. scriptura de voto; c. licet de regularibus c. 2. de voto pro vt expendit Suar. & Sanch. locis allegatis. Neque supra dicta commutationi obstat, quod vota sint facta in fauorem tertij nisi specialiter ipsi promissione & acceptatione ius tertio acquisitum non est, ac proinde solum spectari debet quid Deo creditori gratius sit: Et tradit Suar. d. c. 18. n. 11. Sayro in Clau Regia lib. 6. c. 18. n. 11. vlt. Lessius l. 2. c. 4. d. dub. 16. n. 104. in secunda editione Sanchez lib. 4. c. 41. n. 8. Hinc, si si promiseris calicem dandum Ecclesiae determinata, te posse alteri pauperiori tradere nisi forte promissionem non solum Deo, sed etiam ipsi Ecclesiae direxeris; & ab ea fuerit acceptata. Vtrumque enim requiritur vt bene dixit Lessius supra & explicuit Basil. Legion. lib. 8. de matrimo. c. 8. n. 15.

Dixi nisi aliqua lege vel praecipro prohibere supra dictam facere commutationem. Quod dixi ob vota reuerata, quae semel facta prohibet Pontifex alterius arbitrio mutari in melius non ob impediendum maius bonum, sed vt prudenter mature eligatur; Sic Suar. lib. 6. c. 18. n. 4. fine. c. 21. n. 17. Sanch. c. 1. n. 5. Layman. c. 8. num. 19. Sublimita, nisi ea reuerata commutaueris in statum religiosum. Nam cum omnibus compertum sit, nihil gratius Deo hoc statu offerri posse, noluit Pontifex hanc perfectissimam commutationem interdicere imò potius illam approbavit in cap. scriptura de voto ibi. Reus fracti voti aliquatenus non habeat, qui temporale obsequium in perpetuum noleat religionis obierantiam commutare, Less. lib. 2. c. 40. dub. 16. n. 106. 2. editione Sanch. num. 6.

3. Econtra in rem manifestè inferiorem nullo modo votum commutari potest propria auctoritate; quia est contra rationem velle obligare Deum creditorem, vt rem inferiorem loco superioris debite acceptet. Et tradunt omnes. Ad idem est de re sub dubio vel sub opinione aequali, cuius obligatione satisfacere non potes debito certo. Siquidem ignoras creditorem gratum fore, ab eoque acceptari: Idque manifestè conuincitur ex cap. 1. de voto vbi consideratio & auctoritas Praelati expositulatur ad inuestigandum an reconperatio peregrinatione promissa gratior sit. Et tradit Suar. d. cap. 18. num. 8. c. cap. 19. per totum Sanchez lib. 4. cap. 49. n. 8.

4. Difficultas nonnulla est cum certo constat, rem subrogatam omnibus perpensis aequalem esse an propria auctoritate possis in eam votum commutare? Affirmat Medina lib. 1. sum. c. 40. §. 7. Henriquez. lib. 5. de poenitent. c. 10. n. 5. & lib. 7. de indulgent. c. 30. n. 5. Manuel Rodrig. 2. tom. sum. c. 110. n. 4. conclus. 4. Emanuel Sà. verbo voti irritatio. n. 9. & probabilem reputant Atagon. Suar. Alcozer, Lessius relati à Sanch. lib. 4. c. 49. n. 10. Moueri possunt: quia posita aequalitate materiae subrogatae videtur certum vtramque aequè esse Deo gratam: ergo vtraque satisfieri debito potest. Nam licet inuito creditore vnum pro alio solui nequeat, bene tamen si ipsi gratum sit. Insistit, quibus modis tollitur obligatio, Statum in principio. Atqui materia subrogata aequalis aequè Deo grata est, ac ea quae fuit determinatè promissa. Ergo illius oblatione debito sit factis.

Oppositum tamen tanquam probabilis tenendum est cum communi sententia apud Suar. dicto lib. 6. de voto c. 19. n. 3. Lessius lib. 2. c. 40. dub. 16. n. 105. in secunda editione. Sayro in Clau Regia lib. 6. c. 11. n. 8. Sanch. lib. 4. c. 49. n. 12. Layman. l. 4. sum. tract. 4. c. 8. n. 19. Ratio est: quia esto materia subrogata aequè Deo grata sit, illique placeat ac ea, quae promissa fuit si vtraque per se spectetur: At posita promissione & obligatione vnus specialiter & determinatè soluenda non est aequè Deo gratum illam offerre. Siquidem pro parte materiae promissa sit promissionis firmitas, & constantia cuius variatio non videtur honestati posse, nisi aliquis manifestus excessus sit in materia subrogata. Et confirmo si abique derimento fidelitatis offerri potest Deo materia aequalis ei, quae promissa fuit: manifestè inferret, te non esse ex vi voti obligatum magis reddere rem determinatè promissam, quam quamlibet aliam aequalem, conuenienti disciplinae rectaeque motum instructioni contrarium. Ergo. Tandem quia difficillimum est, & fere impossibile, aequalitatem in materia subrogata euidenter cognoscere. Ergo raro vel numquam talis commutatio fieri potest propria auctoritate. Plures enim sunt materiae quae per se spectatae aequales apparent, at omnibus perpensis aequales non sunt. Vt multis exemplis exornat. Suar. lib. 6. c. 19. n. 11. c. 12.

Sansa.